

Transeundo a Iure Pontificio ad Ius Mexicanum vix quidquam reperiemus saepius commendatum, quam ut libertatem conservent Indigenae cum illis humano modo in omnibus utatur. Et omissis numerosis schedulis Regum Hispaniae in eorundem favorem, Concilium Mexicanum III non tantum edidit decreta aptissima, pro mutanda in melius sub omni respectu conditione Indigenarum, sed Patres Concilii eadem miserunt ad Regem instanter supplicantes, ut remedium afferret, variis et gravissimis malis, quibus affligebantur. Et revera huic Synodo debetur, quod deinceps a variis et gravibus oneribus liberati fuerint et pro labore suo statuta sit illis merces diaria, qua hodieum suis necessitatibus provident.

Nihil proinde magis conveniet, quam ut haec Synodus Antequerensis, ad mentem Sanctae Sedis et iuxta nobile exemplum Patrum Concilii Mexicani commoret ea decreta, quae inserviunt ad conservandum Indigenis pretiosum fidei donum, quaeque ad veram humanitatem et perfectum statum civilem et christianum illos perducunt. Haec privilegia praecipue continentur in sequentibus Pontificum concessionibus:

1. Quoad Baptisma adultorum et puerorum contra voluntatem patrum, super dubio utrum liceat hosce baptizare, quando pater est infidelis, mater christiana, aut viceversa, habetur constitutio Benedicti XIV, *Postrimo*, die 23 Februarii 1747 dans solutionem, ubi agitur de Neophytis.

2. Quod spectat mandatum recipiendi Sacramenta tempore paschali, existit Indultum Apostolicum pro insulis Philippinis, extendens tempus illud ad totum annum. Iam vero propter communicationem privilegiorum iuxta disposita a Gregorio XIII, *Rationi congruit*,

die 11 Oct. 1579 vix dubium esse potest, hoc indultum extensum fuisse ad omnes Indias Occidentales. In hac tamen regione Mexicana praxis hodierna habet ut tempus istud se extendat a feria IV Cinerum, usque ad Octavam festi Corporis Christi, prout concessum fuit pro Indis et mixtis, litteris Urbani VIII, *Cum sicut dilecti*, die 16 Aprilis 1630.

3. De Confessione et Communionem S. Pius V propria manu scripsit litteras *Cum sicut accepimus* ad Episcopum de Tucuman, permittens ut Indi pro confessione possent uti interventu interpretis. Paulus Pp. III iussit nullo modo communionem negari moribundis. Idem praescripsit Concilium III Mexicanum, severe prohibens, infirmos transferri ad templum, ut in illo extremis auxiliis muniantur.

4. De Indulgentiis et Iubileo Pius IV per Breve die 11 Augusti 1562 concessit Indigenis lucrari indulgentias sola contritione (et ieiunio si fuerit praescriptum) et confessione intra mensem peragenda. Dein Paulus V, litteris die 18 Aprilis 1609, *Exponi nobis nuper*, requirit solam confessionem, et hanc dispositionem confirmavit etiam Urbanus VIII, 13 Martii 1634, *Provisionis Nostrae*.

5. De Matrimonio per Breve *Altitudo* die 1 Iunii 1537, sustulit impedimenta tertii et quarti gradus affinitatis et consanguinitatis, pro Indis tum simplicis, tum mixtae. Ut valeat dispensatio super hisce iuxta Bullam, *Cum Venerabilis*, deinceps datam a Benedicto XIV, sufficit ut alter contrahentium sit Indigena, etiamsi alter fuerit ex sanguine Europaeo. S. Pius V, 2 Augusti 1573, *Romani Pontificis aequo*, concessit indigenis iam baptizatis, vel deinceps baptizandis, conservare, tamquam sponsam legitimam illam, quae una cum

ipso baptizata fuisset, vel deinceps baptizaretur, et ceteris mulieribus derelictis; etiamsi haec non fuerit prima, tale matrimonium validum et legitimum declarat.

6. De Ieiunio et Abstinencia. Bulla *Altitudo* Pauli III eximit Indigenas a lege ieiunii, exceptis tantum feriis sextis temporis quadragesimalis, et vigiliis Nativitatis et Resurrectionis Domini. Etiam vel pro hisce diebus valet exemptio, cum experiantur incommodum ieiunium in exercendis officiis suis, et detrimentum virium pro labore sequentis diei. Quoad abstinenciam eximuntur omnibus illis diebus, in quibus etiam ceteris fidelibus licet vesci carnibus.

7. De diebus festis. Per eandem Bullam, *Altitudo*, eximuntur Indigenae a praeecepto audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus diebus festis, exceptis tantum Dominicis et solemnitatibus Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis Domini et Corporis Christi; item Nativitatis B. M. V., Purificationis, Annuntiationis, et Assumptionis; ac SS. Apostolorum Petri et Pauli.

8. De Censuris. Etiam pro absolutione a Censuris specialis concessio facta est in favorem Indigenarum per Bullam citatam, *Altitudo*. Item per litteras Apostolicas Gregorii XIII, *Cum sicut exponi Nobis*, datas die 1 Februarii 1573. Hisce tamen postea quidem derogatum per constitutionem *Apostolicae Sedis*, die 12 Octobris 1869: sed per facultates *Solitas* possunt eandem absolutionem Episcopi concedere.

Prae oculis habendo omnia hic breviter exposita, et considerando qua praedilectione speciali Romani Pontifices iugiter cordi habuerint concessionem largiri in favorem miserabilium Indigenarum, eosque omnimode protegere et iuvare, atque hisce potissimum deberi

conservationem aborigenum in territorio huius Reipublicae Mexicanae, dum in aliis, non adeo dissitis, misere perierunt; considerando praeterea Patres Concilii Mexicani III, atque omnes etiam Praelatos saeculi XVI et deinceps, causam Indorum quasi suam propriam amplexos fuisse, atque quaecumque insurgerent pericula, maxima energia et constantia se opposuisse pro defendenda eorum libertate et iure; attendendo insuper, in praesenti rerum discrimine, dum perniciosissimae doctrinae, in societatis destructionem ubique sparguntur, Indigenis prae primis gravissimum imminere periculum, ne praeda fiant, tum in temporalibus, tum in iis praesertim quae mores spectant et fidem, luporum qui ovina sub pelle latentes, circumeunt eorum perditioni inhiantes; haec quoque Synodus Antequerensis, cuius norma est in quantum potest, omnibus spiritualibus praesertim malis occurrere, ea statuere debet in horum Indigenarum favorem, quae iuvent ad conservandum iis pretiosissimum fidei donum, a Divina Providentia eorum patribus concessum, atque per christianam educationem et eruditionem eos formare vere fideles Christi et hinc excellentes Ecclesiae et Patriae cives. Ideo obsecramus et in virtute sanctae obedientiae mandamus et iubemus ab omnibus et singulis Parochis, Vicariis ceterisque ecclesiasticis, et ab omnibus etiam fidelibus, qui conditione sociali sua praevalent, in omnibus locis huius Provinciae nostrae sequentia fideliter observari:

1. Curam habeant strictissimam, ne Indigenae sint victimae eorum omnium, quae possunt indebite coartare eorum libertatem, uti sunt v. gr. contractus onerosi, quibus obligantur ad servitutem personalem, pro exigua nimis retributione, quae vix aut ne vix quidem

sufficiat ad providendum stricte necessariis ad suam, suorumque sustentationem. Et in specie improbandus abusus nonnullorum, qui mercedem non in pecunia solvunt, sed maiori ex parte variis ad vitam seu vestitum necessariis, quorum ipsi pretia statuunt, ita occulte partem mercedis sibi retinentes. Ex altera parte operarii attendant, ne negligentia sua aut pigritia, dominum defraudent labore, pro quo iustam mercedem accipiunt. Dictum est enim: Servi obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum (Col. III, 22).

2. – Invigilent, Parochi imprimis; ne quidquam attentetur contra eorum libertatem religiosam, cum, rudes ut sunt plerumque et inexpertes facilius irretiantur a falsae doctrinae seminariis, qui ignorantiam plebis explorantes, sub praetextu libertatis male interpretatae, infringunt ipsas leges civiles vigentes, quae severe prohibent eiusmodi fraudem et seductionem.

3. – Cum in praesenti haud raro inveniantur homines malae fidei, qui sub praetextu defendendi iura Indigenarum in litibus suis, indigne illos exspoliant, et simul interdum seminant doctrinas perversas, imo etiam auctoritatis legitimaе subversivas et immorales; Parochi quoad possint, fideles sibi commissos ab ista calamitate, quae causa est desolationis in pagis et familiis, liberare curent.

4. – Cum lege non tantum ecclesiastica, sed etiam civili prohibeatur omnis iniuria et offensio aut laesio Indigenarum, quandocumque huiusmodi excessus pervenerint ad aures Parochi, non solum sancta cum libertate hisce obsistat, sed ubi opus fuerit, auctoritati superiori ea denuntiet.

5. – Ubi occurrat aliquando Indigenam calumniis oppressum carcere detineri, nihil adeo dignum zelo veri parochi gregis sui pastoris, quam calumnia oppressae victimae defensionem suscipere. Prae oculis habeat nobile exemplum Ill<sup>m</sup>i D. Bartholomaei Las Casas, Episcopi Chiapensis.

6. – Cum prorsus conveniat, ut parochus ceterique sacerdotes exemplo sint in amore vere paterno erga Indigenas, idque affabilitate et mansuetudine erga illos demonstrant, ab omni iniustitia, inhumanitate et iniuria prorsus caveant, unde et auctoritati sibi tam necessariae nocerent, et gregi suo praeiudicio forent et scandalo; sub poena etiam destitutionis aut iudicii canonici, illis iniungimus ut faciles ac patientes ac plenos caritate se illis exhibeant, tamquam filiis praedilectis Ecclesiae.

7. – Imprimis illos monemus, ut nulla ratione sive publice in templo, sive privatim, iniuriose loquantur de indigenis; sed cum caritate ubi opus fuerit, de defectibus moneant, nec leviter, etiam si ius haberent, ante iudicem eos citent, memores verbi et exempli Christi Domini.

8. – Caveant etiam exigere ab Indigenis laborem personalem ipsis invitis, aut absque debita mercede. Quod si fuerit pro servitio templi, pro praeparandis festis solemnioribus, dummodo parochus zelum Dei habeat et comiter illos tractet, Indigenae quoque sponte, quod facere possunt, contribuere solent.

9. – Moneant dein dominos (*hacendados*) et ceteros, qui Indigenas operarios habent, ne diebus dominicis et festis in laboribus illos detineant, sed curent ut observent legem divinam et ecclesiasticam, sanctificando diem, et debita etiam requie gaudente. Neque illis

diebus, quibus Indis per privilegium opera servilia licita sunt, domini illos obligent ad laborem in latifundiis aut agris suis.

10. – Cum inter ceteras plagas, Indigenae imprimis usura affligantur, et ab insidiosis decepti facilius inducantur ad solvendam usuram 6 %, 12 %, 25 % imo 50 % singulis mensibus, in simplicitate sua non praevidentes ruinam propriam et familiae suae ex pernicioso contractu brevi tempore secuturam: curent parochi saepius edocere fideles suos super pactis istis usurariis, et contra fallacias deceptorum eos praemunire. Et in specie sciant omnes veram licet palliatam usuram esse adeoque prohibitam, abuti necessitate qua premuntur Indigenae vendendi absque mora frumenta vel alia, ad emendum longe infra valorem, quod cum lucro illicito deinceps vendant.

11. – Causa horum et aliorum malorum, quibus gravantur Indigenae, cum sit praesertim defectus instructionis religiosae et civilis, parochi, pro zelo veri boni gregis sui labori nulli parcant ad procurandam fidelibus sibi commissis hanc instructionem et educationem, adeoque satagant erigere scholas tum pro pueris, tum etiam nocturnas et dominicales pro adultis aut grandioribus, qui infra diem labore suo impediuntur, ut et ipsi circa necessaria, imprimis doctrinae christiana, dein et quoad reliqua edoceri valeant.

12. – Quod autem pueros attinet, cum ab eorum instructione pendeat spes Ecclesiae et bonum nationis in posterum, statuit haec Synodus ut erigantur ubique, quantum fieri potest, scholae parochiales, et in quavis civitate episcopali normalis etiam pro formandis magistris. Parochi autem, quantum possunt, insistant, ut Indorum pueri omnes ad dictas scholas concurrant,

persuadendo genitoribus, quantopere id filiis suis necessarium sit et fructuosum.

13. – Ubi loci conditio et numerus incolarum illud suadet, nihil obstat, imo perutile esse poterit, ut praeter ordinarias scholas pro pueris et pro puellis, etiam instituantur, quas vocant, scholae artium et officiorum, in quibus ad artes et industrias diversas formentur pueri, tamquam in seminario operariorum christianorum, magno certe emolumento religionis et societatis.

14. – Nec minori sollicitudine promovenda est puellarum institutio, qua ad officia sua quondam implenda mature praeparentur. Nihil itaque praetermittendum est, quo fidei rudimentis ac ceteris quae statui et sexui congruunt, accurate imbuantur. Ad quem finem assequendum maxime interest ut, proprio idiomate non derelicto, tum domi, tum in scholis linguam hispanam a teneris annis ediscant. Ex quo illud commodi obveniet, quod cum reliquis ditionis nostrae incolis agere valent ac praecipue quod spiritualia auxilia, uti conciones, catecheses, etc. facilius percipient.

Et pro hisce et ceteris scholis instituendis, excitent generosum concursum bona possidentium, ostendendo illis, non solum hoc onus esse caritatis a Deo proceribus et divitibus impositum, sed praecipuum etiam remedium contra mala praesentia societatis ut proprio emolumento suo, et bono etiam temporali consulant.

15. – Inter mala gravissima, quae omnino impugnari debent, adnumerandae profecto praxes quaedam idololatrae et superstitiosae, quae, non obstante sollicitudine perseveranti Ordinariorum, hinc inde adhuc perstiterunt saltem in abscondito. Quapropter haec Synodus mandat parochis, non solum praedicatione docere Indigenos quam abominabiles sint eiusmodi praxes,

et graviter offensivae Divinae Maiestatis; sed omnibus modis hasce superstitiones radicitus evellere curent. Sciant autem parochi, quod si remissius in his egerint, aut, quod Deus avertat, aliquo modo pro debilitate sua, hisce consentire appareant, non solum immediate munere privandos esse et paroecia evocandos, sed etiam coram iudice ecclesiastico accusandos tamquam fautores idololatriae et superstitionis, servatis tamen de iure servandis.

16. – Alienum non est a ministerio nostro, fideles ab ea vana credulitate detererre, quae temporalia etiam damna solet afferre quamplurima.

Compertum enim est multis in locis saevire et grassari morbum contagiosum (*viruela*) ea potissimum de causa quod Indigenae, ex inani et caeco timore, a salutaribus remediis praeventivis abhorreant. Nempe viri fallaces, vulgo dicti (*curanderos*) eos decipiunt, ac persuadent, pus vacinum, nocivum esse imo et ipsam tabem instillare. Quem errorem perniciosum radicitus estirpandum parochi pro viribus curabunt.

17. – Quoniam boni parochi est operam dare ut fideles ad omnem humanitatem et vitae civilis cultum efformentur, Indigenis assidue inculcabunt, quam indigna sit et quam aliena ab humana dignitate, probrosa nonnullorum nuditas. Omnes vero adhortabuntur atque urgebunt ad decorum vestitum adhibendum.

18. – Parochorum curae in hoc praecipue evigilabunt, ut Indos ab ebrietate, summa virium contentione avertant: quippe quae et corporum et animarum salutis maxime nocet. Valde autem proderit si Societates a *temperantia* dictae ubique constituentur.

19. – Religioni opprobrio et offensionis est quod interdum in ipsis ecclesiis ebrii videantur; ut aliquando

inter aborigenes, festa sua celebrantes, factum fuisse dolemus. Qua de re parochorum conscientiam oneramus, ne unquam in domo Dei, quae domus orationis est, tam immane scandalum dari patiantur.

20. – Honor divinae Maiestati debitus vix ulla re magis laeditur, quam ubi fideles in templo, iis utantur vestibus, aut eas peragant actiones, quae loci augusti sanctitati adversatur. Deleatur itaque haec corruptela, vel eo magis quod saepe fomes est superstitionum. Districtim ab omnibus exigendum est ut in aedibus sacris munditiam, decorem ac modestiam servent, neque in iis ullo praetextu aut cibum capiant, aut somno indulgeant.

21. – In pagis aliquot accessoriis solent incolae, transacta festivitate, per plures dies in turpi ebrietate versari. Ab hac depravata consuetudine omni ope deterrandi sunt, tum aliis industriis, tum institutis pietatis exercitationibus.

22. – Indigenae multi, dum praecepta decalogi recitant septimum plerumque praetermittunt. Proinde sedulo docendi sunt (verbis perspicuis, non tamen asperis) furta a lege Dei graviter prohiberi, nec satis esse si delictum illud confiteantur, nisi etiam propositum eliciant tum non furandi in posterum tum restituendi, si possint, quaecumque iniuste abstulerint.

23. – Omni odio et horrore detestandus est concubinitus, multo autem magis polygamia. Ne unquam Indi his abominandis peccatis foedentur, in paroeciis diligenter promovendus erit sacramentorum usus et frequentia, ac pietas omni ratione fovenda.

24. – Sicubi concubinarij in eiusmodi adiunctis versentur, ut matrimonio rite uniri valeant, parochi, quam citissime possint, nuptias celebrandas curabunt. Impe-